

20

DISPUTATIO THEOLOGICA,
THESES ALIQUOT
CONTROVERSAS CON.
TINENS.

Quam,
CVM Deo Vno, bono, Sapiente.

In Illustri Illustrium Comitum Nassoviorum Lycéo,

Praeside
REVERENDO ET CLARISSIMO VIRO,
Dn. JOHANNE PISCATORE, THEOLOGO
celeberrimo, Præceptore suo filiali hono-
re prosequendo:

Publico examini subjicit
MICHAEL ASCHENBORNERUS, Bethaniâ-Sile-
sius, SS. Theolog. Studiosus.

De controversiis horum temporum Epigramma.

Thejologi certant, & adhuc sub judice lis est:
O utinam lis sub judice tota foret.

Thejologi certant, & adhuc de judice lis est:
O utinam lis de judice sola foret.

Otanta in nobis utinam Lis esset amoris,
Quantus in hoc lacero tempore Litis Amor.

HERBORNÆ NASSOVIORVM,
ANNO

IesV ChristI MeDIatorIs nostri.
BeneDICat nos DeVs, DeVs noster.

ILLUSTRI AC GENE-
ROSISSIMO HEROI
AC DOMINO,

Dn. GEORGIO à SCHONAYCH,
Libero Baroni ac Dn. in Carlath, Beu-
then, Milckau, Nenckers-
dorff &c.

RUDOLPHO II. Imperatori in Camerâ
Silesiacâ à consiliis.

Ecclesiaz Dei nutrio benignissimo, Orthodoxaz
Religionis propagatori & propugna-
tori acerrimo,

*Domino ac Euergetae meo omni subje-
ctione colendo*

Disputationem hanc Theologicam de-
bita gratitudinis ergò d. d.

*Michaël Aschenbornerus,
Author & Resp.*



בָּשֵׁם אֱלֹהִים

THESES THEOLOGICÆ

I. DE DEO.

THEISIS

Uemadmodum sine Sole nec solem ipsum, nec ea, quæ sub Sole sunt, videre: ita sine Deo nec Deum ipsum, nec ea, quæ Dei sunt, intelligere possumus.

2 Ad hanc igitur nobis benignissime Deus, & hujus disputationis nostræ agmen ducito.

3 Σαρὸς & σοφῶς definitur Deus, si ita definiatur: Deus est Jehováh Iehováh Elohim. Jehováh, essentia denotat unitatem: Elohim, personarum si non semper trinitatem, tamen pluralitatem.

4 Deus non potest facere contradictionia. Ratio: quia non potest mentiri. Mentiri autem non potest, quia natura sua est verax & sanctus.

5 Hoc autem nullam in Deo arguit impotentiam, sed potius sumam perfectionem & potentiam.

II. DE PERSONA CHRISTI.

THEISIS

Graues jam olim de Persona Christi moverunt & moverunt controversias Arius & Eutyches, viri certe citra controversiam perversi: iste circu naturam divinam, negando illam: hic circu humanam, nimium extollendo eam, quando in naturam divinam conversam eam esse docuit.

2 Nostro tempore haec ipsæ controversiae quasi ex orco revocatae sunt auctoribus Fausto Socino & Johanne Brentio; quorum ille evidenterissima de divinitate Christi S. scripturæ testimonia impudenter eludit, & in alienum sensum detorquet: hic verò realia deitatis *indivisa* carni Christi communicata esse imprudenter astruit.

3 Quamvis autem tām manifestos errores recitasse, est eosdem refutasse: tamen quia multorum isti jam naēti sunt approbationem, utile omnino, imō necessarium magnoperē existimo, ut is, qui inter hæreticos ejusmodi Theologiaz aliquando sacris operatus est, moneatur maturē & muniatur, ne illorum circumventus erroribus, qui plausibiles sunt sēpenumerō, āternū sibi & aliis contrahat exitium.

4 Ad dēopūd̄ x̄s illos confutandos & confundendos vel unicus nobis sufficere potest rectē intellectus Euangelista Johannes, qui instar Aquilæ in sublime volando āternam Jesu Christi divinitatem describit luculentissimē, cūm λόγον in principio fuisse, apud Dēum fuisse, & ipsum Dēum fuisse affirmat. cap. i. v. 1.

5 Referri huc non incommodē potest, quod apud eundem Euangelistam de se ipso dicit Christus ipsa veritas, cūm gloriam se habuisse, ait, antequam mundus fieret. Job. 17. v. 5.

6 Quid verō Christus habuissest, nisi extitisset? Jam, si antē mundi extitit primordia, principii omnis expers est, adeoq; āternus; si āternus, Deus est.

7 Præterea nominent nobis boni illi viri vel ullum temporis momentum, quo dicere ausint, Dēum non fuisse Patrem. Deus ab āterno Pater fuit; proindē filius quoq; patri συνάδεσθαι necessariō statuitur. Relata enim sunt ἡμαρτυρίαι: & Pater tām non potest esse absq; filio, quām lux absque splendore.

8 Eutychianam, proprietorum deitatis, humanæ Christi naturæ fātam communicationem sacra scriptura destruit, cūm Christum venisse, abiisse, abfuisse antē & post resurrectionem astruit. Vide Matth. 28. v. 6. Luc. 24. v. 5. Matth. 26. v. 39. & seqq. Job. 11. v. 15.

9 Hæc & similia scripturæ dicta humanæ naturæ negant omnipræsentiam. Negandum itaque & reliquas ei communicatas esse proprietates.

10 Aut enim omnia deitatis idiomata, aut aliqua, aut nulla carnis Christi communicantur. At non omnia. Sic enim esset naturarum identitas; nec aliqua: quia sic essentia divina esset divisibilis. Ergo nulla.

11 Nec alia potest esse proprietatum communio, quām quæ est naturarum inter se unio. Jam verō ita ad naturas se habet unio, ut propter eam humana natura nequaquam fiat divina, nec divina fiat humana

manæ. Ergo neque alterius naturæ proprietates reales communicantur alteri.

12 Notetur hic illa L EONIS Regula: Utraq; natura in Christo agit cum communione alterius, quod cujusq; proprium est: verbo operante, quod verbi est, & carne exsequente, quod carnis est.

13 Illi autem eò melius, quod volunt, obtinere se posse putant, si unam atq; alteram adhibeant limitationem, distinguendo nimisrum 1. inter omnipræsentiam per se & $\tau\alpha\lambda\alpha\sigma$: 2. inter corpus hyperphysicum & physicum: 3. inter eximationis & exaltationis statum: 4. inter omnipræsentia $\kappa\lambda\lambda\sigma\tau\alpha$ & $\chi\gamma\eta\sigma\tau\alpha$.

14 Quid verò? annon eo ipso causæ suæ satis superq; produnt imbecillitatem, eamq; ob id cordatis omnibus suspectam reddunt?

15 Refert Politianus, & cum eo alii, Philetam Coum, Criticum & Poëtam Ptolomæi Philadelphi præceptorem, corpore fuisse adeò tenui & macilento, ut necesse fuerit plantis ejus plumbum adhibere, ne à ventorum abriperetur flatibus.

16 Ovum ovo vix tam simile est, quam Philetæ huic sunt Ubiquitatis illi patroni. Cùm enim adeò leve & macilentum dogma hoc suum animadverterent, ut stare suis nequaquam posset viribus, hinc inde corraserunt distinctiones illas, quibus tanquam plumbeis soleis & columnis suffultum, immotum illud & inconcussum arbitrantur.

17 Sed frustra. Plumbo enim hoc à sacræ Scripturæ malleo contuso, quicquid reliquum fuerit hujus dogmatis, corruet priorsus & dissipabitur, si veritatis cœlestis Zephyris exponatur.

18 Videamus ordine distinctiones.

19 Distinctio prima se ipsam extinguit, dum petit principium. Non enim hoc nostrum est $\tau\alpha\lambda\epsilon\mu\sigma\sigma\sigma\sigma$, an sit humanæ naturæ proprium, ut ubiq; sit & omnipræsens; sed queritur; an humanâ naturâ assumtâ à $\lambda\gamma\varphi$ sit ubique, quia $\delta\lambda\delta\varphi$ est ubique. Illi verò ita distinguunt; humanam naturam per se non esse ubique, sed assumtam à $\lambda\gamma\varphi$; quod quid aliud, quæsto, est, quam $\tau\theta\epsilon\delta\chi\varphi$ $\lambda\mu\beta\alpha\tau\alpha\omega\omega$?

20 Secundò distinguunt inter corpus Christi $\nu\pi\epsilon\varphi\sigma\tau\alpha\kappa\sigma\sigma$ & $\varphi\sigma\kappa\sigma\sigma$. Illud ubique esse dicunt, hoc verò non. Resp. Verum corpus, (cujusmodi etiam corpus Christi est) esse ubique, non est $\nu\pi\epsilon\varphi\sigma\tau\alpha\kappa\sigma\sigma$, sed potius $\alpha\pi\iota\varphi\sigma\tau\alpha\kappa\sigma\sigma$. Tollit enim naturam veri corporis, de cuius essentiâ est, semper habere proprias dimensiones & circumscriptum esse. Propria

autem *το εργασια* significatio naturam ornat, non destruit. Nihil itaq; juvat adversarios allata hæc distinctio.

21 Tertiò, quod nugantur, in statu exaltationis carnem Christi omnipræsentem fuisse, etiam *απειπον* est. Nam & post glorificationem adesse & abesse dicitur. Non est hic, surrexit, *Math.28.v.6*. Recessit ab eis, *Luc.24.v.51*. Ascendit in cælum, & tandem de cælo venturus est, judicare vivos & mortuos.

22 Commiseratione deniq; non confutatione opus habet illa inter omnipræsentia *κλησιν και χριστον* distinctio.

23 Ubi, quæso, proprietatum divinarum maneret simplicitas, si in iis distingui posset *κλησιν απειπον*.

24 Simplicissimæ sunt omnes divinæ proprietates, imo sunt ipsa divina essentia. *Ισοδωμα μετρια* igitur sunt, uti omnipræsentia, omniscientia, & habere omnipræsentiam, omniscientiam: ac proinde, si humana Christi natura proprietatum divinarum habere *χριστον* sive usum revera dicitur, quidni *κλησιν* earundem habere quoq; dicatur? Falsum autem hoc. Falsum itaq; & illud.

III. DE PRÆDESTINATIONE.

THESES.

Deus Opt. Maximus hominum alios prædestinavit ad salutem, alios ad interitum, *Matth.22.v.14. & 24.v.24. Job.13.v.18. Job.17.v.12. Acto.1.v.25. Acto.13.v.48. Acto.14.v.16. Roman.8.v.28.29.30. Rom.9.v.11. & seqq. Rom.11.v.2. 1.Theffal.5.v.9. 1.Pet.2.v.8. Jude.v.4.*

2 Illa Electio, hæc dici consuevit Reiectio, sive reprobatio.

3 Unde apparet, particularem esse Electionem, non universalem.

4 Electionis hanc & dilectionis particularitatem evincit quoque particularis Jacobi dilectio, teste Paulo, *Rom.9.v.11. & 13.*

5 Consideretur etiam hic speciale illud cum Abrahamo & posteris ejus fedus. In eo peculiarem suam Deus certis quibusdam promittit gratiam. Ergo certos quosdam particulariter elegit.

6 Causa electionis hujus extra. De u m nullus proflus quærenda est. Non hominis voluntas: Nec enim est volentis, neq; currentis, *Rom.9.v.16.* Non prævisa fides. Fides enim est Electionis effectum, *Acto.13.v.48. Rom.8.v.30.* Non operum merita, sive sanctitas. Non enim quia fuimus,

fuimus, sed ut essemus sancti, elegit nos, Ephes. i. v. 4. Non generis dignitas. Omnes enim Adami posteri pares sunt, & naturâ indigni. Nec etiam Christi meritum: quia hoc illius effectum est, Eph. i. v. 5. 1. Pet. i. v. 19.

& 20.

7 Sed merum Dei beneplacitum, sive εὐδοκία τῆς θελήματος αὐτῆς. Ephes. i. v. 5. Rom. 8. v. 29. Rom. 9. v. 18.

8 Quemadmodum autem Deus Electionis causa solitaria est, ita & Reprobationis, siquidem æquè æterna est hæc actio atq; illa; & Electione sine reprobatione nec esse nec intelligi potest.

9 Causa ταρπησμένη, sive interna, quæ ipsum ad reprobandum aliquos movit, est etiam εὐδοκία Dei, & in specie liberum ipsius & justum odium.

10 Peccatum itaq; damnationis licet sit causa, reprobationis tamen nequaquam.

11 Neq; propterea Deus injustus est dicendus, si æqualibus tribuit inæqualia, & aliquos tantum, non verò omnes eligit. Vult ille hac ratione ostendere & illustrare non modò misericordiam, sed suam quoq; justitiam, Rom. 9. v. 22. & 23. & potestatem habet faciendi de suo quicquid vult, Matth. 20. v. 15.

12 Ardua hæc est doctrina, ac proinde de eâ nunquam dicendum, nisi ejusdem simul indicetur usus, ne vel ad licentiam, vel ad desperationem abutantur illâ auditores.

13 Usus autem ille triplex est: 1. Ut humili adoratione agnoscamus, quam simus obstricti Deo, qui nos indignos è turbâ perditorum eligere, & ad gloriam cœlestē instaurare dignatus est. 2. Summa exinde petitur consolatio. Scimus enim, salutem nostram in manu Dei omnipotentis nostri positam esse. 3. Ad studium bonorum operum extimulamur; quandoquidem per illa firmam facimus & ostendimus electionem nostram.

IV. DE FIDE.

THESES.

Quicunque ad salutem à Deo ab æterno prædestinati sunt, illi & non alii fide donantur salvificâ, Actor. 13. versu. 48. Roman. 8. v. 30.
Ita. I. versu. 1.

2 Scripturæ itaq; contradicunt, qui reprobis eandem dari aliquando dicunt.

3 Fides illa semel electis data nunquam prouersus amitti potest: quia 1. dona D E I sunt ἀμεταμέλητα, Rom. 11. v. 29. 2. Christus rogavit, ne deficeret fides electorum, Luc. 22. v. 32. 3. Semen D E I manet in iis, Job. 3. versu 9. Huc faciunt & alia Scripturæ testimonia, ut Roman. 8. v. 38. 39. Job. 10. v. 28. Matth. 24. v. 24. Psal. 1. v. 3. Esa. 42. v. 3.

V. DE SACRAMENTIS.

THESES.

Promissioni gratiæ semper signa sive ritus quosdam adjunxit Deus, qui Sacra menta usitatè in Ecclesiâ nominari consueverunt.

2 Septem nobis sub anathematis fulmine obtrudunt Sacra menta Pontificii. Nos verò fulmen & tonitru hoc ex pelvi susque déque habentes, duo tantum N. Testamenti sacra menta esse affirmamus, & ex Scripturâ confirmamus. Non plura enim, quam duo, à Christo instituta sunt. Sacramentum Baptismi, Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15. 16. & Cœnæ, Matth. 26. v. 26. & seq. Marc. 14. v. 22. & seq. Luc. 22. v. 19. & seq. 1. Cor. 11. v. 24. & seq.

3 Illud Circumcisio nis, hoc Paschatis celebrationi successisse, ex Scripturâ colligitur, Coloss. 2. v. 11. 12. Matth. 26. v. 19. 1. Cor. 5. v. 7.

4 Circa Baptismum utile est scire controversiam de Exorcismo. Pontificii eum de Baptismi essentiâ, ac proinde summè necessariū esse ajunt. Lutherani adiaphoram dicunt esse ceremoniam.

5 Nos neutri parti subscribentes, in Christianorum Ecclesiis non tolerandum eum statuimus: quia est ritus, vanus, ludicus, magicus, impius.

6 De verbis Cœnæ jam olim quæsitum est, quinam eorum sit sensus; an figuratus, an verò urgenda litera?

7 Literalem sensum habere se gloriantur Pontificii & Lutherani, ex eoq; Transsubstantiationem illi, hi Consu bstantiationem extruunt.

8 Sed neutri literam retinent. Dicunt enim illi contra literam, sub speciebus panis & vini corpus Christi esse: deinde pro verbis: *Hoc est corpus meum*, reponunt: Hoc fiat corpus meum. Manifestè his adversatur Paulus, dum panem illum ante, in, & post actionem panem nominat, 1. Cor. 10. & 11.

9 Sed

9 Sed, neq; Synusiaſta literalem ſenſum retinent. Quemadmodum enim nō idem eſt, ſi dicam: Is, qui pependit in cruce, fuit Jesus Christus, & in, vel ſub illo, qui in cruce pependit, fuit Jesus Christus: vel etiam: Marsupium eſt pecunia, &, In marsupio eſt pecunia; ita neq; hæc enunciata inter ſe identica, ſimilia, aut ſe mutuò explicantia ſunt; Panis eſt corpus Christi, &, In, cum & ſub pane eſt corpus Christi.

10 Alium itaq; ſenſum verba illa Christi important, & eum quidem, quem Orthodoxi ſtatuant, dum ita ea explicant: *Hoc eſt corpus meum. id eſt: panis eſt memoriale corporis mei pro vobis traditi.*

11 Demonſtratur hæc ſententia: 1. Ex ipſo contextu. Christus enim addit: Hoc facite in mei recordationem. 2. ex ratione aliorum ſacramentorum, in quibus figurata locutio locum habet, ut *Genef.17. v.10.11.* Circumciſio eſt fedus. Agnus eſt pascha, hoc eſt, ut Deus ipſe interpretatur, *Exod.13.v.9.* eſt ſignum & memoriale transiſti. Petra erat Christus, id eſt, ſignificabat Christum, *1.Corinth.10.v.4.*

12 Porrò quod ad manducaſionem carniſ Christi attinet, ſtatuimus, eam non ore, ſed fide manducari.

13 Fide autem manducare carnem Christi, eſt credere eam pro nobis eſſe in mortem traditam. Similiter, fide bibere ſanguinem Christi, eſt credere, eum pro nobis effuſum in remiſſionem peccatorum.

14 Hanc de Sacramento Cœnæ Orthodoxorum doctrinam multi admitterent & amplecterentur facile, niſi non nullas aversarentur ceremonias apud eosdem uifitatas.

15 Sciendum autem, nequaquam illas ceremonias à primâ Cœnæ iuſtitione diſcrepare, ſed in omnibus cum eâ concordare.

16 1. Mensis utuntur, non altaribus Pontificiis. Quiā nec ipſe Christus ſuper altari, ſed in mensâ Cœnam adminiſtravit. 2. Propter extra- na ſacrificia habebantur olim altaria. Illa autem jam per Christi ſacrificium ſemel oblatum, abolita ſunt. Ergo etiam altaria ſublata.

3. Ipſe Deus gentilia altaria propter exercitam in iis idololatriam deſtruji juiſſit, *Exod.24.v.13. Num.23.v.52.* Ergo itidem deſtruenda ſunt altaria Pontificiorum.

17 2. Accuſatur & hoc in externis Cœnæ ceremoniis apud Orthodoxos, quod abrogatis hostiis ſubſtituerunt panem cibarium.

18 At hac in parte eos non peccare, prima Cœnæ iuſdicabit iuſtitio. Nam & ipſum Christum vero pane uſum fuiffe teſtantur cum Apoſtolo Paulo Evangelista.

19 Deinde cùm Sacraenta similitudinem earum rerum, quarum sunt Sacraenta, habere debeant: quis non videt, panem cibarium *ārta* *λεγιαν* illam, quæ est inter signum & signatum repræsentare illustrius, quām panes illi numularii sive hostiæ, quæ ad alenda & fovenda corpora prorsus sunt inutiles.

20 3. Tertium, quod in Orthodoxorum ceremoniis reprehenditur, est panis fractio.

21 Ritum autē hunc in Christianorum Ecclesias usurpandum esse, exinde evincitur, quia i. expressa verba Christi habemus: *Hoc facite. Jussit autem Christus edere non quemvis panem, sed fractum ante discipulorum oculos. Obtemperandum itaq; huic mandato.* 2. Fractio panis repræsentat corporis Christi fractionem: propter hanc *ārta* *λεγιαν* fractio necessariò in Ecclesia retinenda est. 3. Ecclesiæ primitivæ exempla habemus, in qua Apostoli mandati Christi memores fractionem panis nunquā intermisserunt. Ideo Paulus ait: Panis quem frangimus, nonne est *κοινωνία* corporis Christi? Et, quid multis? Tota Cœnæ actio tanquā à parte potiori nominata fuit panis fractio, *Acto. 2. v. 42. & cap. 20. ver. 7.*

22 Et hæc jam de controversiis istis in medium allatis satis fortasse breviter, si materiæ amplitudinem: satis prolixè, si thesium respicias angustiam. Deo ter Opt. Max. sit laus, honor & gloria pro luce verbi sui inter nos accensâ. Faxit idem, ut & adversarii aliquando lucem illam veritatis videant, & Christianam nobiscum colant fraternitatem, ad laudem gloriosi nominis sui & Ecclesiæ ædificationem. Amen.



AD DOCTISSIMUM

DN. RESPONDENTEM,
amicum suum *ωραίωντος.*

Nervosè & breviter tria tractas membra sacraæ
Doctrina, Satanæ que lacerare studet.
Quo tamen invito succrescere cernimus illa,
Damonii ut valeant technaq; frausq; nihil.

Sic

Sic ASCHENBORNERE tuum, sic munus obito;

Ut capiant vires hac tria membra suas.

Dumq; è suggesto sancti mysteria verbi

Enarrare paras, hac tria membra tene:

Primus amor Domini est, Christi benefacta sequuntur,

Ex Sacramentis quam clara nitent.

M. Henricus Gutberleth Philos. Prof.

JOHAN-HENRICI ALSTEDI

Epigramma

A.D.

DN. MICHAELM ASCHENBOR-

NERUM, JUVENEM HUMANIORES

juxta & sacras literas apprimè doctum,

amicum veterem.

Quæs; ego te celebrem, inulta argumenta supersunt;
Singula sed curtum non epigramma capit.

Quæs; tibi fausta precer, plura argumenta supersunt,
Cuncta sed haut simplex jam schediasma notat.

Hoc tamen eulogium cape sis: Tibi, quæ mihi notus,
Theologia in corde est, & Sophia ad latus est.

Hoc etiam votum cape sis, quod pectore puro
Conceptum voveo; carmine at illepidi:

Omnipotens Deus ille tuae vitæque viæque
Sit dux, in cælos detq; tibi imperium.

ELEGIDION

In quo alluditur ad cognomen ornatissimi, doctissimiq; viri D. Michaëlis.

Aschenborneri, S.S. Theologæ studiosissimi, amici & con-
terranei mei suavissimi.

Est avis, Arabicis qua degere fertur in oris,
Magna seges priœce materiesq; lyra.

Hac ubi sexcentos vitam protraxit in annos,
(Historia veterum si modò vera docent,.)

Thuribus è rariis, casiaq; crocoq; Sabao
Concinnas nidos, emoriunturq; super.

Nascitur inde novus lapsus de funere pullus,
Suppetius radius Sole ferente suis.
Fallor? an ipse clues, solers quam turba sophorum
Elogis tantis nobilitavit, avis?
Et ita, Nam quicquid scripti veneranda vetustas
Alite de tali, convenit omne tibi.
Soli avis haec sacra est, quia scilicet ille parentum
Et patria & matris fungitur officio,
Dum siccis cineres, & vita proflus inanes,
Instaurat radius virificatus suis:
Sic patria praelustre decus, Schonaichius heros
Exanimis qui fert, sole ad instar opem,
Te sibi se legit quondam, propriumque dicavit,
Et quasi natorum rectulit in numerum,
Cognita postquam ipsi sat ac perspecta fuere
Indolis integritas ingeniiq; vigor.
Insuper haud herbis Phoenix, succo sed amomi,
Et thuriis lacrymis, vivere suavit avis:
Sic tibi non putidas sapientia foris lacunas,
Scripta placent, tantum cœlica verba placent,
Cœlica verba placent tantum, testatur id ipsum
Exhibitum nobis hoc uisus tua tuum.
Addo quod & Phoenix, exacto tempore vita,
Tradat odorifero membra tremenda rogo:
Sic quoq; tu facies, teneris quas forsitan annis
Offudit menti Flaccica turba tua,
Salvifici verbi sacros exuris ad ignes,
Flamine cœlesti cor moderante tuum.
Grata deinde solet uia solga rependere Phoenix,
Dum matrica si thureq; sacra facit:
Sic quoq; tute, tu ignod Meccenatis ad aram
Suspensis pignus, pol facis egregie.
Alite post isto non est viruacior illa
Sole sub aetherio qua modò degit, avis:
Sic tu, cui faciles Natura in carmina vires,
Ingeniumque sagax ad bona quaq; dedit,
Factuate tollat magnum super athera virtus,
Æternumque tibi nomen in orbe para:
Sic mihi dicereis meritò CINERICREMUS ales,
Sic te Phœnicem terrapolusq; canet.

Phœnix eveng. scribebam

Abrahamus Scultetus Grünber-
gensis Silesius.



6
sum, sic minus obito,
membra suas.
verbi
membratene:
benefacta sequuntur,
clara nitent.

Gutberleth Philos. Prof.

ALSTEDI

a

ASCHENBOR.

HUMANIORES
primè doctum,
rem.

a argumenta supersunt;
in epigramma capit.
ra argumenta supersunt,
ex jam schediasma notat.
is: Tibi, quà mihi notus,
& Sophia ad latus est.
quod pectore puro
armine at illepidio:
e vitaque viæque
tibi imperium.

o N.
doctissimiq; viri D. Michaëlis.
iosissimi, amici & con-
fissimi.

ertur in oris,
seriesq; lyra.
t in annos,
vera docente,)
abao
super.